



D

Auf  
R

24  
JOH. VLRICI CRAMERI,  
J. V. ET PHIL. D. AC PROF. JVR. ORD.  
P.T. DECANI

*PROGRAMMA*  
*De*  
*PRÆSVMTIONE*  
*Pro*  
*JVRE ROMANO*

*CONTRA*  
*MORES ANTIQVOS*  
*GERMANORVM*

*QVO*  
*DN. SENCKENBERGII*

*ΠΡΩΤΟΝ ΦΥΓΔΟΣ LATIVS REFELLITVR,*

*ET*  
*PRÆLECTIONES PVBLICÆ*  
*Ad Tit. 2. ff. de Origine Juris*

*PRIVATÆ*

*Ad Struvii Jurisprud. R.G. F. & Schilteri Institutiones*  
*Juris Feudalis*  
*INTIMANTVR.*

---

*MARBVRGI IN CATTIS,*  
TYPIS PHIL. CASIM. MULLERI, ACAD. TYPOGR. ET BIBLIOP.  
MDCCXXXVII.

24.







uanta de Juris Romani autoritate inter  
Doctores agitata fuerit, & hodie nuna  
agitetur lis, nemo nescit, qui vix ima  
JCTorum subsellia triverit. Hic ve  
ro loci ea opinio consideranda venit,  
qua statuitur, pro Legibus & consue  
tudinibus Germanorum antiquis con  
tra Jus Romanum praesumi, adeoque  
in pugna ad Jus Romanum provocanti onus receptionem  
probandi incumbere. Cujus sententiae affectas CONRA  
DUM SINCERUM seu KULPISIUM (a), THOMAE  
SIUM (b), KESTNERUM (c) tanquam Antesignanos  
nominasse suffecerit. Evidem KULPISIUS SCHILTE  
RUM laceffens, statim hunc gravem adversarium exper  
tus (d). Fuere tamen & alii, qui LYNCKERI (e), &  
BER.

## A 2

(a) In Disserr. Epistol. de LL. veter. German. autorit.

(b) In Disserr. de Exiguo Usu Juris Rom. in For. Germ. &  
ejusd. Delin. Histor. Jur. §. 179.

(c) in Tract. de Defect. Jur. Comm. Probl. 4.

(d) in Act. Erud. A. 1682. p. 366.

(e) in Comment. ad Jus Civ. Tit. de Orig. Jur. §. 12.

BERGERI (*f*) argumentis præsertim usi , sententia isti refellendæ operosius studere , inter quos præprimis referendus CASPAR HEIDELMANNUS (*g*) Serenissimo Duci Gothano olim a Secretis . Quamvis vero contra hunc sententia ista haud imbellem in JOH. BURC. VERPOORTENNIO invenerit promachum (*h*) , nec mihi tamen sepositis argumentis pro & contra afferri solitis , veritati consentanea videtur . Et opinor haud abs re . Si vero quæsiveris , quomodo rationes subditcam , attende quæsto ad sequentia , quibus Prælectiones publicas ad Titul. *ff. de Origine Juris* , Privatas ad STRUVII . Jurisprudent. R. G. F. & SCHILTERI Institutiones J. F. intimaturus , eo magis illaborare opera preium esse duxi , quod in Dissertatione mea , cui Dn. SENCKENBERGII pruritus & ministerium in aliorum teliis vibrandis causam dedit , eade re latius agere chartæ angustia prohibuerit . Primum quod demonstrandum venit Theorema est , quod ipsi dissentientes concedunt , invaluisse nempe Jura Romana contra mores Germanorum antiquos . De cuius veritate tamen si dubius hæreas , velim FRIDERICI II . Constitutionem , quam ALBERICUS trium fontium Monachus ad A. 1234. suppeditat , æqua ponderes lance . Adhuc , inquit , autoritate regia præcipimus , ut si Comes vel alias Nobilis judicium habens , non judicaverit secundum provinciarum consuetudinem , Domino Regi , sic ut di-  
ctum est , centum marcas argenti componat . Quod maxi-  
mo argumento est , in foris tunc temporis Jura Romana  
contra

(*f*) De Usu Action. pœn. §. 9.

(*g*) in Diatrib. Histor. Jurid. de Recept. Jur. Rom. ejusdemque vi & LL. Germ. veter. in Foris usū aurorit. præf. p. 31.

(*h*) in Append. ad Schediasm. de Investitur. Allo. p. 131 seqq.

contra consuetudines provinciarum invaluisse: cum alias tam gravi in contravenientes statuta poena opus non fuisset. Nullam vero Constitutionem hanc consecutam fuisse vim, facile inde colligere est, quod circa idem tempus divisiones illæ odiosæ Principatum in Germania invaluerint. Cui rei probandæ testimonium notatu dignum suggerit CVSPINIANVS (*i*) pactionem referens, quam LEOPOLDVS dux Austriae cum Sorore sua Regina Hungariæ A. 1385 inierat, verbis: *Est etiam inter nos protocolatum & ordinatum, quod filius noster Willselmus presentialiter & post mortem nostram cum aliis nostris filiis & liberis presentibus & tunc relictis ad justam & hereditariam portionem omnium nostrorum patriorum principatum & Dominiorum jus habeat patrimoniale, & aequalem cum iis, portionem habere debeat, juxta jura & consuetudinem principum.* Attamen jam CHRISTINA Cæsaris filia, VLADISLAO qui in Polonia A. 1140. Principatum iniit nupta marito suo persuasura, ut exclusis fratribus regnum sibi vindicaret, in Senatu ajebat: *Sic in sua Germania, sic apud alias Gentes, quæ cultu vita, ingenio & Sapientia percellerent, moribus atque Legibus receptione esse, ut maximus natu in bona paterna succedat, ceteris fratribus paululum aliquid pre manibus dari, unde vivant: prout testis est MARTIN. CROMERVS (*k*).* Unde itidem certissimum indicium fit, ubi Jus Romanum in fora Germaniae penetravit, consuetudines majorum, veluti quæ primogenito successionem tribuebant, tanquam iniquas rejici, contra æquitatem Nov. 118. & aequalem successionem commendari coepisse. Quodque per integrum seculum XIV. di-

A 3

visions

(*i*) In Austria p. 51. ap. Sigismund, a Birken-Destreich Ehrensp. L. 3. c. 10.

(*k*) L. 6. de Reb. Polon. ab init.

visiones illæ receptæ fuerint, ejus rei luculenta apud HERTIVM suppetunt exempla (*l*). Porro seculo XV. quidam Imperii ordines stragem, quæ juribus patriis imminebat, advertentes sub FRIDERICO III. A. 1441. contente se se opposuere, inque Comitiis Moguntinis famigeratissimam illam Reformationem Moguntinam ejusdemque declarationem apud GOLDASTVM (*m*) & MVL-LERVVM (*n*) extantes, ab Imperatore proponi curarunt. Quorū exēdem collineent, vel ex art. 7. perspicitur, ubi Jus Romanum abrogatur: Alle Kayserliche Weltliche Rechte so bisher im Heyl. Römischen Reich Deutscher Nation gebraucht und davor gehalten sind / sollen alle Todt und abe seyn. Hucque dubio procul digitum intendit Doctoř ille Decretorum PETRVS DE ANDLO (*o*) dum, quas utique, inquit, leges nostras Alemanæ pro dolor! in sua despiciit insipientia. Quamobrem minime mirum, si tota compago Romanae potentie dissolvatur, omnisque Teutonia continua inquietudine absque justitia agatur & pace: ad eum fere modum, quo NICOLAVS VIGELIVS in Dialogo, quem MELCHIOR GOLDASTVS exhibet (*p*) sub Titulo: Wahrhaftige Ursachen/ warum Gott den Turken verhänget / daß sie der Christen Adel und Ritterschafft vertilgen und ausrotten / zu treuer Warnung dem Adel und Ritterschafft beschrieben / und in Druck versetzt / get / originem mali apud Germanos a languido Juris Civilis studio derivat. Eequam atro carbone inibi notati sunt Doctores Juris Romani! Ipsos penitus a judiciis arceri

(*l*) T. II. Opusc. p. 108.

(*m*) In denen Reichs-Satzungen p. 166.

(*n*) Im Reichstag Theatro p. 58.

(*o*) L. i. de Imp. Rom. Germ. c. X.

(*p*) In politischen Reichs-Handlungen p. 234.

ceri desiderabatur. Ita art. 5. Alle Doctores der Rechten &c. sollen an keinem Gericht bey keinen Rechten auch in keines Fürsten oder andern Räthen mehr gelitten/ sondern ganz abgethan werden. Sie sollen auch für bashin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden / schreiben oder Rath geben / &c. Rationem Declaratio secunda art. 5. suppeditar. Wann dass Recht ihnen härter/ denn denen Layen verschlossen ist / und kan ihrer keiner den Schlüssel dazu finden/ bis beyde Theile arm werden / oder ganz verdoeben sind &c. Darzu sind es nur Besold. Knchte und nicht Erb. Diener der Rechten. Sic quoque in eadem declarat. Stieff. Vätter und nicht rechte Erben des Rechtes vocantur, denn sie bringen durch ihren unordentlichen Geiz das Recht zu einem solchen Unglauben / daß kein fromm Mann sein Vertrauen mehr darauf setzen mag. Quæ res fecit, ut CONRINGIVS (q) periniquam & longe durissimam; BE SOLDVS (r) vero mirabilem & iniquam hanc ordinationem vocaverint, imo quibusdam supposititia visa; eum tamen GOLDASTVS in Archivo Moguntino, Saxonico & Palatino originalia se vidisse testetur, & CONRINGIVS asseveret, constare libellum hunc publicæ deliberationi in Comitiis propositum fuisse. Hisce tamen omnibus non obstantibus in sumum abiisse omnes illos reformandi conatus CONRINGIVS tradit (s), nec ullam vim Legis dictam ordinationem noctam fuisse BE SOLDVS c. l. refert. Quibuscum perbelle consentit MULERVS (t) verbis: Diese so genannte Reformation, ob sie schon von Kaiser Friderichen auf dem Reichstag

zu

(q) De O. J. G. c. 32.

(r) Discurs Polit. de præmiis, poenis &amp; LL. c. 8. §. 5.

(s) L. c. p. 200. (t) p. 74.

52) 3 (25)

---

zu Maynz denen Ständen soll proponirt und vorgetragen worden seyn / ist in terminis eines blosßen Projects geblieben / und weder auf sothanem Reichstage / noch in folgenden Zeiten im Heyl. Römischen Reiche recipirt worden / einfolglich darf sich auf selbige als einen Legem publicam niemand berufen. Unde tuto collegaris, mores antiquos contra torrentem Juris Romani non prævaluisse. Nec diffiteret id Illustris BOEHMERVS (v), dum recepto Jure Canonico & Romano, ait, non potuit non Jus antiquum Germanicum insignem accipere cladem, & paulatim obsolescere. Hoc novum argumentum suppeditat, ostendens, quanto in pretio Jus utrumque apud Germanos fuerit, ut etiam mores Germanos in plurimis eradicare, eisque leges novas genio Germanorum haud respondentes surrogare potuerit. Idque nec inficias ire potest B. GVNDLINGIVS (w). Imo KVLPISIVS hujus rei quatuor adducit causas (x). Firmum & grave quoque dat testimonium Illustris Dn. KOPP, in Specimine edecimato & salivam movente ad plura in scriniis reposita, de TESTAMENTIS GERMANORVM, ubi illud sub DIO Ungehabt und Ungehabt conditum rationibus sat prægnantibus a restringenda licentiosa illa testamenti factione in favorem Ecclesiarum desuntis fundatum, atque antiquissima consuetudine subnixum, penitus postquam Jus Romanum autoritate Jurium Statutariorum seculis XV. & XVI. mores Germaniae turbaverat, abrogatum docet. Supereft aliud controversiam illam ab AVIANO (y) inter illustres relatam, an posseffo ipso Jure in heredem,

---

(v) In Jur. Eccl. Protest. L. I. Tit. II. §. L. I.VII.

(w) In Diff. de Renunc. hered. Filiar. Illustr. c. I. §. XXIII.

(x) In cit. Epift. circa fin.

(y) In Recensione Illustr. Controvers. num. 8.

*transfusat*, concernens. CARPZOIVS generalem loco-  
rum omnium consuetudinem, ob quam Jus Romanum.  
l. 23. pr. ff. de A. vel A. P. de talismodi possessione actua-  
li apprehensione occupanda, nunquam receptum sit, fin-  
gens (z), affecias reperit præ alis, quos BAR-  
THIVS recenset. (aa), SCHILTERVM (bb),  
& novissime Illustrē HEINECCIVM (cc), qui id de  
universa Germania a SCHILTERO demonstratum  
sibi persuadet, ac propterea Juris Germanici esse cre-  
dit, quod omnes originis Germanicæ gentes commune  
habuerint, locum Juris Saxonici L. III. art. LXXXIII.  
maxime perspicuum venditans. Enimvero neminem  
latet, CARPZOVIO olim jam sub Præfido HAHNII spe-  
ciali schediasmate, *de transitione possessionis in heredes ita*  
*fese opposuisse JOH. EICHELIVM*, ut applausum ple-  
rorumque meruerit, & non solum collectores posterio-  
ris Partis Usus Moderni Pandectarum B. STRYCKII (dd),  
sed & Viri Per-Illustres de BERGER (ee), de LV-  
DOLPH (ff), de WERNHER (gg), nec non Illu-  
stris Dn. LEYSER (hh), ad castra ipsius transierint,  
ex continua praxi Imperii defendantes, novisque præ-  
judiciis confirmantes, mores istos antiquos ad no-  
stra usque tempora conservatos non fuisse, sed Jus Ro-  
manum contra eosdem invaluisse. Sane si jactitata illa

## B

con-

(z) P. 3. Decisi. 225. n. 21. 33.

(aa) In Cent. I. Dissens. in praxi occurrit. Dissensu 99.

(bb) Exerc. XV. §. 13. seqq.

(cc) Elem. Jur. Germ. L. II. Tit. X. §. 297.

(dd) Ad Tit. ff. de A. vel A. P. §. 6. seqq.

(ee) In Oecon. Jur. L. II. Tit. 6. n. IV. annot. I.

(ff) In Symphor. T. I. f. 933.

(gg) Observ. For. Part. I. Vol. I. O. CXXI.

(hh) Medit. ad Pand. Spec. 371. IV. V.

consuetudo universalis esset, cur Juribus statutariis demum in multis locis, ut possessio rerum hæreditiarum ad hæredes ipso Jure transiret, introducendum fuisset? Quale de Civitate Colonensi refert Per-Illustris Dn. de LVDOLPH (ii). Quamvis vero hæc ita sint, attamen ad nostra usque tempora mores quidam antiqui velut e naufragio tabulæ conservati, e. gr. quod pacta nuda obligationem producant, separatae cœconomiaæ institutio modus patriam potestatem solvendi sit &c. Quibus combinatis id conficitur, Jus Romanum plerumque contra mores antiquos Germanorum invaluisse, raro vero mores antiquos superstites mansisse. Cum itaque nemo non ordinarium dicat, quod plerumque fieri solet, extraordinarium, quod raro accedit; & ordinarium præsumendum, extraordinarium probandum sit; unusquisque mecum fatebitur, pro receptione Juris Romani contrâ mores Germanorum antiquos præsumendum esse, donec probatum, eosdem ad nostra usque tempora conservatos fuisse. Ubi tamen simul notandum, notorietatem conservationis istorum morum ad nostra usque tempora, probationis vice fungi. Necquid video, quod hic remorari cujusvis asserti ponere possit, nisi circa principium hæreat. Enimvero id secum cogitet, quod ordinarium nitatur rationibus communibus extraordinarium vero singularibus. Si dein ulterius ex doctrina PHILOSOPHI in memoriam sibi revocaverit, quod probabile sit, de quo quædam, quæ ad ipsius veritatem requiruntur, cognoscuntur; rationes, ex quibus ordinarium assertur, probabiles; atque adeo cum præsumitio assertio facti ex rationibus probabilibus sit; ordinarium præsumendum, extra-

(ii) Obs. continuat. II. O. CCXV, p. 626.

extraordinarium probandum non poterit non agnoscere.  
 Quæ egregie confirmat ORDINATIO JVDICII AV-  
 LICI (kk), ea enim post Constitutiones Imperii ante  
 Jus Romanum non quasvis consuetudines sed probatas  
 (probirtæ *Gewohnheiten*) in decisione causarum obser-  
 vandas inculcat. Quæ sane recentiores & ex antiquis il-  
 læ sunt, quarum conservatio ad nostra usque tempora  
 probata vel notoria. Atque hæc mens Illustris Dn. KOP-  
 PII nostri est; ita enim Vir eximius (ll): *Quemadmo-*  
*dum risui se exponeret, qui ex nimio erga leges Germa-*  
*niae antiquas amore, decisiones causarum sine ullo judicio,*  
*simpliciter in lege Salica, Capitularibus Regum Fran-*  
*corum, speculis tum Saxonico tum Suevico (utut illuſratio-*  
*nis ergo recte nonunquam adhibeantur) querere vellet; ita*  
*majori adhuc risui apud saniores se exponit, qui negle-*  
*ctis plane Jure & moribus patrii, omnes Germanorum cau-*  
*sas ex jure Justinianeo decidendas arbitratur, in illis etiam*  
*caſibus, de quibus ne cogitare quidem poterant & Justinia-*  
*nus, & veteres Jcti Romani. Quæ belle modo deductis*  
*conveniunt; nam nec nos mores patrīos plane negligendos,*  
*sed eos utique Juri Romano anteponendos judica-*  
*mus, de quorum conservatione constat. At id cum ipso*  
*statuimus, illam conservationem non præsumi sed proban-*  
*dam esse; ita enim ille sub finem doctæ Præfationis; nec*  
*tamen & nimium tribuendum legibus Germanorum antiquis,*  
*sed potius usum hujus vel illius juris, documentis quoque*  
*& praxi temporum recentiorum confirmandum, & quate-*  
*nus eidem per Constitutiones Imperii vel leges novissimas for-*  
*te derogatum sit, disquirendum arbitramur. En concor-*  
diam!

B 2

(kk) Tit. I. §. Und die weilen &amp;c.

(ll) In Præfat. ad Spec. Jur. Germ. priv. I. de Jure pignoran-  
di conventionali.

diam! Nechisquicquam officia auctoritas Dn. PETRI a LVEDIG, qua in suis deductionibus & Consiliis Juris praecipuas decidendi rationes ex illis Speculis nec non antiquioribus Germanorum arque vicinorum populorum legibus desumit. Evolve quoefo scriptum ipius, cui rubrum: *Einleitung zum Teutschen Münzweesen mittlerer Zeiten* p. 271. ejusdem Annotat. ad Aur: Bullam. T. II. p. 1499. seq. nec non Praefat. ad singular. Jus. Publ. §. 8. T. II. L. 2. Consil. Hall. 112. ibi Speculatores Saxonum & Suevicum sputo magis quam lectio ne digniores censet, illisque ut & reliquis veterum Germanorum legibus omnem fere Legalem autoritatem abjudicat. Vere igitur hic usurpes illud Martialis:

*Inque suos mittit spota subinde finus.*

Si desideres exemplum modo deducta illustrans, perpende ius pignorandi conventionale veterum Germanorum, quod cum contra debitorem verbis & facto resistentem & vel armis exerceri possit, legibus Justinianis repugnat, juxta quas publica coercito priuata pactione non tollatur (mm). At enimvero Illustris Dn. KÖPP in peculiari Specimine tabulis & chartis veteribus egregie evictum dedit, illud usi frequentissimo per tot secula & ante & post stabilitam pacem publicam, continuato in Transactionibus, mutuo & hypothecis, retrovenditionibus, Emtionibus venditionibus intuiti praefande evictionis, locationibus, conductionibus, contractibus Landsideliae, contractibus vitalitiis, nec non emtionibus censuum annorum ad dies vitae, donationibus piis, contractibus feudalibus & delictis, ad nostra usque tempora conserva-

---

(mm) L. 5. ff. de Pact. dotal.

42) 13 (3)

servatum fuisse. Quin itaque pro Jure Romano hoc  
in casu præsumcio ccesset; quis est qui dubitet? Atque  
sic spero nemini collectum difficile erit, quid de vulga-  
to: Jus Romanum in subsidium saltem receptum esse,  
sentiendum sit. Nemo id negare ausit. At nimis præ-  
cipiti cursu ad illationem: ergo receptum in subsidium  
legum antiquarum obsoletarum, rui quisque per mo-  
do deducta & invitus concedet. Hoc namque inde  
saltem fluit, Jus Romanum eum in casum receptum  
esse, quo deficiunt Jura domestica, Recessibus Imperii,  
aliisque ordinationibus comprehensa, & non scripta an-  
tiqua ad nostra usque tempora conservata atque recen-  
tiora. Et gaudeo, quod videam, celeberrimum REIN-  
HARDVM (nn) cum B. STRYCKIO (oo) & B.  
WERNHERO (pp) ejusdem mecum esse sententiae.  
Idque duplici ex ratione 1.) quod eo ipso scripto per-  
docto in locum B. BRVNQVELLI successoriter, qui  
in peculiari PROLUSIONE ACADEMICA ostendere ammisus:  
*In pugna Juris Germanici & Romani il-  
lud huic, imprimis in causarum illastrium decisionibus,  
preferendum esse, nisi hujus receptio probetur, cuius ad-  
eo autoritatem, si forsitan nobis objiceretur, dignus hic  
ipsius successor commode elidit, quemadmodum etiam  
arma, quæ pro sententia ista dicta Prolusio suppeditat,  
historia deprehendet, qui argumentorum REINHAR-  
DI robur ea qua pars est dexteritate exploraverit, 2.)  
quod eo crassior sit error Dn. SENCKENBERGI, cui to-  
tam Dissertationem suam tanquam fundamento super-*

B 3

struxit,

(nn) In Progr. de usu & non usu pract. doctrin. de fictio-  
nibus Juris.

(oo) Us. modern. ff. Dissert. prælim. §. 18.


(pp) Dissert. de usu Jur. Justin. in for. Germ. non exiguo §. 4

struxit, cum eundem citra pulveris jactum vincere potuisset, modo Collegæ sui scriptum evolvere & argumenta ipsius probe ruinari non neglexisset. Non erat ergo, cur titulis noviter acquisitis in Novellis Francofurtenibus nuper adeo superbiret. Cristas illas parum curo, nec permittam, ut eadem ipsum certamini subducant, quemadmodum intentat. Quisquis etiam me non monente videt, montes illos, quos se parturire statavit, difficultibus faltem prætexi, quas superare necit. Et compareat licet per Advocatum; instrumentum hoc innocens intactum relinquam, mihiique semper cum Principali res erit, eo jucundius, quo citius, ut illud PRUDENTII mox quisque mecum ingeminet;

*Pompa ostentatrix vani splendoris, inani  
Exiuit nudata peplo,*

Si vero expertis mi Lector! ut futura prædicam & canam ut vates, quale nempe apparitum sit opus quod dolorem vix consolabilem donec consummatum fuerit, autori suo affert, haud vanus augur ero, si illud præfagiam tale, quale est illud vas fictile apud ATHE-NÆVM (qq): in quo simul fuerunt, papaver, album triticum, hordeum, pifum, ervum, cicer, lens, faba, Zea, avena, caricæ, mel, oleum, vinum, lac, quin etiam illota ovis lana. Dabam Marburgi Catt. d. April. A. 1737.

(qq) L. II. Dipnosoph, p. 476.



SIDONIVS.

*Seu placeant seu displiceant, non invide curo,  
Non ideo scripsi, quo tibi sint placita.  
Dummodo complaceant plus Doctis, plusque peritis:  
Æmule non stupidum curo placere tuum.  
Quod justum est, scribo, nec multum Drossule curo,  
Sive huic sive illi displiceat, placeat.  
Non laudem quero, procul abit gloria vana,  
Justitiam tantum Zoile desidero.  
Non Baldi, Balbi, vel Fusi quero favorem,  
Sed neque applausus ambo gratificos.  
Si non natus arridebunt, oculatis,  
Si non Nasoni forte tamen Jasoni.*

frater, cum ruderis citra pulvri pectus vobis per-  
cedat, modo. Collegit illi scriptum esse, ut etiam  
mensa vestra probatur, non negabatur. Quod si  
scriptum est, quod non debet esse. Non debet esse  
firmitatem, non debet levitatem. Cetera plures  
sunt, non prestant. Deinde ipsius argumentum in-  
ducatur, et confirmationem invenerit. Quisquis enim  
non credens sicut deo laudare potest  
debet, et deo laudare potest.

2410.12.2

2. omnis obicit non, invenitq; illi in manuq; in  
manu huius, utrilibet in illi eis, agnoscat osti no-  
men eius, et inq; in illi invenitq; illi in manuq; chemina  
eius, et inq; omnis invenitq; non ducatur.  
3. omnis obicit omnia sua, obicit et invenitq; illi in  
manu, et inq; illi in illi invenitq; omnia invenitq;  
omnis invenitq; illi in illi invenitq;, et inq; invenitq;  
invenitq; illi in illi invenitq; omnia invenitq;  
invenitq; illi in illi invenitq; omnia invenitq;  
invenitq; illi in illi invenitq; omnia invenitq;

AB: 65717

X 2290245

VD 17







JOH. VLRICI CRAMERI,  
J. V. ET PHIL. D. AC PROF. JVR. ORD.  
P. T. DECANI

*PROGRAMMA*  
*DE*  
*PRÆSVMTIONE*  
*PRO*  
*JVRE ROMANO*  
*CONTRA*  
*MORES ANTIQVOS*  
*GERMANORVM*  
*QVO*  
*DN. SENCKENBERGII*  
ΠΡΩΤΟΝ ΦΕΥΔΟΣ LATIVS REFELLITVR,  
ET  
*PRÆLECTIONES PVBLICÆ*  
Ad Tit. 2. ff. de Origine Juris  
*PRIVATÆ*  
Ad Struvii Jurisprud. R. G. F. & Schilteri Institutiones  
Juris Feudalis  
*INTIMANTVR.*

---

*MARBVRGI IN CATTIS,*  
TYPIS PHIL. CASIM. MULLERI, ACAD. TYPOGR. ET BIBLIOP.  
MDCCXXXVII.